COMMENTATIO CHIRURGICA

SISTENS

EXSTIRPATIONEM STEATOMATIS IN PELVIS CAVITATE RADICANTIS

QUAM

GRATIOSO MEDICORUM ORDINI IN ACADEMIA LIPSIENSI

PRO

SUMMIS IN MEDICINA ET CHIRURGIA HONORIBUS CAPESSENDIS

EXHIBUIT

AUCTOR

GEORGIUS FRIDERICUS KOHLRUSCH

ELBINGERODANUS

CHIRURGUS SCHOLAE THOMANAE ET NOSOCOMII AD DIVUM JACOBUM CHIRURGUS SECUNDARIUS.

MENSE JUNIO A. CIↃIↃCCCXXVI.

ACCEDUNT III TABULAE AENEAE.

LIPSIAE,

SUMTIBUS C. CNOBLOCHI.

Tabularum explicatio.

Tabula prima.

Adspectus appendicis steatomatosi posterior.

Tabula secunda.

Adspectus appendicis steatomatosi anterior, simul cum labiis pudendi monstrosis.

Tabula tertia.

Figura prima:

Adspectus steatomatis lateralis.

x Fasciculus ejus cum intestino recto cohaerens et ad symphysin sacroiliacam adscendens.

o o o o o Fasciculi ejus cum glutaeis et fasciis cohaerentes et sub iis provenientes.

Figura secunda:

+ Secundum steatoma ex incisura ischiadica proveniens.

q Centrum hujus steatomatis.

k, l, m, n, o, p Fines ejus, quibus in externa ossis ilei superficie ligamentisque sacrospinoso et tuberososacro se extendens circumscriptum erat.

o····l····r····k. Interni steatomatis fines in linea arcuata versus symphysin sacroiliacam et promontorium recedentes et inde in osse sacro descendentes.

‡ ‡ Tertium steatoma.

ſ. Finis ejus posterior et inferior.

u. Finis ejus anterior et superior.

t. Decursus ejus in ramo ossis ischii adscendente et ossium pubis descendente.

w. Tuber ossis ischii locusque scaber et periosteo denudatus.

Prooemium.

Non propterea, ut splendidum inter chirurgos locum affectarem aut scriptoris medici gloriam captarem, animum adieci ad hoc opusculum conficiendum et publice edendum. Illud enim ne faciam, vetat meritorum meorum de chirurgia mediocritas; alterum quo minus inconsulte molirer, impedivisset institutio, qua a tenera aetate usus sum et quae non ita comparata erat, ut scriptoris personam ea animi confidentia sustinere possim, qua uti multos hoc tempore videmus. Sed alia causa et gravior est, propter quam laborem illum suscipere constitui. Namque videbar mihi ad artis chirurgicae emolumentum et honorem aliquid conferre posse, si casum quendam morbosum rariorem enarrarem, ex quo intelligi queat, quanta sit interdum artis chirurgicae et cultri fortiter adhibiti efficacia. Quae narratio si lectoribus non displicuerit: alio etiam tempore et loco casus memorabiles, qui se mihi obtulerunt, publici iuris faciam.

Hac vero ratione optime tributum me solvere posse arbitror arti debitum, quam omnibus viribus excolere studeo. Nam sicut ingenue meam in dicendo infirmitatem et inde natam timiditatem confessus sum: ita absque propriae laudis indecentis suspicione hoc me posse effari reor, me summo studio anniti, ut non illis accensendus sim, qui artem nobilem chirurgicam fructus tantum ex ea percipiendi causa exerceant, eoque fructu contenti parum curent, utrum ars ipsa promoveatur et locupletetur; sed potius eos imitari videar, qui, candido artis amore incensi, de ea bene mereri et aegrorum salutem pro viribus promovere studeant. Atque summo fervore et disciplinae amore

incensi esse debent, qui artem salutarem exercent, nam vix ulla alia est, quae omnes animi et corporis vires adeo afficiat aut scopi sui, generis humani molestias levandi, nobilitate praepolleat.

Quemadmodum enim inter omnes constat et quotidiana comprobatur experientia, suis quamque scientiam et artem circumscriptam esse limitibus, quos superare nemini mortalium concedatur: ita vix datur ars magis restricta et impedita, quam medicina et chirurgia, inprimis ubi in re facienda versamur. Non omnis enim morbus, sive medicinae proprie sic dictae sive chirurgiae vindicetur, a medico vel chirurgo quamvis peritissimo et audacissimo compescitur, neque quaevis curatio, sive cruenta sit sive incruenta, etiamsi prosperrimis suscepta auspiciis, prosperum etiam habet exitum. Causa hujus rei modo in ipsius morbi vehementia, modo in aegroti natura, modo in aliis, quae accedunt, est quaerenda. E duobus, febre typhosa laborantibus et ab eodem medico rationali curatis, alter sanatur, alter moritur. Duorum hernia incarcerata laborantium ille primo statim ab orta aegritudine die, hic tertio quartove ejusdem chirurgi artis periti auxilium implorat. Operatione instituta ille moritur, hic sanatur. Hic juvenem, quem acus leviter secuerat, trismo, totaque spasmorum turba correptum, omnibus incassum adhibitis misere perire, illic senem, cui ex alto loco lapso plura ossa fuerant fracta, sanatum evadere videmus. Miles v. c. Franco-Gallus, cujus caput globo, ut credibile est, sat magno ita fuerat contusum et laesum, ut mortui similis cadaveribus sepeliendis adjiceretur, et quem vivere adhuc, pupulae tantum contractilitas prodidit, ex mortuorum acervo protrahitur. Cum magna sint artis auxilia: non omnis spes vitae prostratae resuscitandae abjicienda erat. Instituitur trepanatio, et multis cranii fragmentis, multaque ipsius cerebri massa demptis, quinta hebdomade post sanitati redditus nosocomio egreditur; alio contra, levi tantum occipitis contusione admissa, post sex menses moriente. Paucis his, quae ex magno numero attuli, exemplis, satis probantur, quae de artis difficultate dixi; nosmet ipsi autem monemur, ut in suscipiendis morborum curationibus praesagiendoque eorum exitu summa utamur et modestia et cautione, ne et artis et nostra ipsius auctoritas aliquid detrimenti capiat. Ab altera autem parte iisdem exemplis, magnam artis efficaciam testantibus impellimur, ne deterreamur a gravibus et primo adspectu insuperabilibus morbis aggrediendis. Si modo adsit aliqua felicis successus probabilitas, strenue utamur remedio morbi vi non impari justaque via, semper memores dicti

illius Hippocratici, extrema mala extremis impugnanda esse remediis. Certo enim est certius, multos aegrotos non occubuisse, si, ad quos confugerant, medici, non in hanc peccavissent regulam inscitia, aut, quod interdum observare licet, coeco systematis amore impulsi, medicinam sanando morbo parem omittentes. Idque de iis potissimum morbis dici posse existimo, quorum sanatio a cultri tantum chirurgici usu exspectari potest. Jam licet aegri non semper morte luant hujusmodi medicorum peccata: crudele tamen est, nec ignoscendum, si vir, qui rei medicae est peritus, systemati suo indulgens, aut remedii cujusdam amore fascinatus, malum, quod cultri quidem usu, sed tuto et levibus tantum doloribus sanari posset, remedio interno et incerto sanare tentat, ut ante aliquot abhinc annos id observare mihi licuit. Apportabatur enim mihi infans, angiectasia labii superioris magnitudine pisi sativi affectus. Edico, opus esse levi operatione: sed mater, cultrum reformidans, alium consuluit medicum, qui neutiquam opus esse medela tam herculea asseveravit, cum remedio interno, simile malum in sani infantis labio superiore efficiente, id, quod vere exstitit, removeri posset. Propinatur igitur medicina quaedam omnipotens et per sex quidem menses integros, angiectasia, quod praevidendum erat, non modo non decrescente, sed in dies aucta, ut mater, re in deterius ruente perterrita, mihi reportaret infantem, enixe rogans, ut, quod internis remediis removeri non potuisset malum, cultro demerem. Adeo autem interea creverat angiectasia, ut, cum antea quarta tantum pollicis pars labii periclitaretur, nunc dimidia ejus pars esset resecanda. Redditus tamen sanitati est infans sine ulla labii deformitate. Letalem vero sortem experta fuisset misera illa et ipsa de qua in hoc libello exponitur, si priorum, quos consuluerat, medicorum exemplo, magnitudine mali ancipitique operationis exitu deterritus, eam ut desperatam, omnique auxilio exemptam sorti bonae, i. e. inevitabili morti transmittere, aut, ne nihil facere viderer, inefficacibus remediis sublevare voluissem. Et hoc quidem illis ignosci posset; sed si quis suadere hujusmodi aegris vellet, ne alios consulant rei magis gnaros, aut si quis cultri applicationem injuste temerariam et letalem declararet, eosque ab ea deverteret, id profecto non ferendum foret. Talis enim agendi ratio non solum inhumana est, quippe quia hoc modo miseris aegris omnis spes recuperandae sanitatis eripitur, sed etiam arti perniciosa, quod sic multi chirurgi, et maxime iuniores, quorum fama minus stabilita est et firmata, a cultri usu deterrentur. Quare hoc exemplum non solum ad audaciam inspirandam, sed

etiam ad ingenuitatem commendandam aptum esse videtur. Si vero ad audaciam inspirandam illud aptum esse dico: non illam intelligo animi temeritatem, qua multi in secando utentes magnorum chirurgorum nomine dignos sese putant. Turpe enim est et inhumanum, temere et nulla dolorum, quos perfert aeger, ratione habita, modo hic modo illic incidere, et quod una incisione effici posset, pluribus efficere. Si modo finxerint tales chirurgi, sibi ipsis esse perferendum, quod perferat aegrotus, intelligerent, non esse rem levem et ad ludum iocumque commovendum aptam, corpus suum cultro praebere et de vita periclitari. Sed illum potius intelligi volo animum intrepidum, sive audaciam, quem jam a Celso inter virtutes, quibus chirurgum ornatum esse jubet, commemoratum esse videmus. Differt autem ab illa, quam dixi, animi in secando temeritate eo, quod semper coniunctus est cum consilio, prudentia et humanitate et ad omnia, sive provisa sint sive improvisa, paratus, nunquam perturbatur deque tramite suo depellitur. Haec autem virtus, quam non inepte indolem chirurgicam appellari posse credo, non in scholis addiscitur, neque libris legendis acquiritur, sed aut longa et curata exercitatione paratur, aut simul cum homine nascitur, ejusque temperamenti pars est. Quare, quod de poëta praedicant, eum non fieri, sed nasci, idem non immerito de chirurgo etiam praedicari posse videtur. Itaque et omnes, qui chirurgiae se dare eaque exercenda laudem sibi parare velint, monendi sunt, ut multum beneque se tentent, utrum indole hac a natura instructi sint necne, aut sperare queant, fore, ut opera et studio naturae suae defectui remedientur. Ut vero duci vel fortissimo et rei bellicae experientissimo nihil prosunt neque fortitudo neque experientia, ut feliciter hostem aggrediatur eumque vincat, sine accurata loci, ubi pugnandum est, cognitione: ita et chirurgo vel maxime intrepido accuratissima corporis humani cognitio admodum est necessaria, ut cultro in artis et sui ipsius honorem, et aegroti salutem utatur. Hinc non modo sani corporis humani omnino, sed etiam mutationum, quas variis aetatibus aut morbis ingruentibus homo subeat, adeo gnarus esse debet, ut quovis temporis momento singularum partium structuram, situm et qui iis intercedit, nexum mente et memoria tenere, secandique consilium et capere et persequi et pro re nata mutare possit. Exemplum ad id probandum, scituque, ut opinor, non indignum hoc est. Obtulit se mihi ante aliquot abhinc annos aeger, ingenti arteriae cruralis anevrysmate affectus. Visum est uti ligatura supra anevrysmatis saccum applicanda. Sed cum incidissem cutem, ruptus est sac-

cus anevrysmaticus et ingens sanguinis copia ejaculata. Jam cum socius, cui comprimendi vasis provincia data erat, sanguinis flumen sistere non posset, et hinc vita hominis in summum adduceretur discrimen: statim consilium arteriae supra saccum ligandae abjeci, in longitudinem diffindens saccum ruptum in eoque diffisso vas manus sinistrae pollice comprimens. Sic ubi stiti haemorrhagiam, sex fere cruoris libras evacuavi, curvaque utens acu arteriam in ipso sacco facile ligavi. Homo deinceps rite curatus et sanitati redditus est. Illam autem potissimum, quam dixi, accuratissimam corporis nostri cognitionem tanquam normam in examinandis morbis secutus, judicabit chirurgus, admittantne cultri usum an respuant. Taceo reliquas medicinae partes, quae auxiliarium disciplinarum nomine comprehenduntur, quarum gnarus esse debet qui cruenta curatione peracta, incruentam ad felicem perducere vult exitum, eas tantum commemorasse contentus, quarum penitiore cognitione a medico proprie sic dicto distingui solet. Chirurgus autem ita a natura institutus, et auxiliis, quae ad faciendam artem requiruntur, instructus, gravissima et primo adspectu insanabilia mala bono et confidente animo aggredietur, ridensque invidiosorum dicteria, re probabit, nullam esse saepe, praeter cultrum manibus suis concreditum, medicinam et efficaciorem, et ubi locum habet, ad miserias hominum sublevandas magis accommodatam.

Haec praefatus ad rem ipsam devenio, hunc instituens ordinem, ut ab aegrae ejusque mali historia exordiar, et deinde ad primam ejus operationem progrediar. Tum ulterior mali historia exponetur, quam excipiet descriptio tumoris steatomatoïdis simul cum exstirpatione eius altera a me instituta. His etiam expositis, sequetur denique, tanquam altera totius libelli pars, curatio aegrae incruenta sive chirurgico-therapeutica.

Joanna Christiana Knabe, puella bonae constitutionis, nec ad ullum morbum prae ceteris disposita, ancillae negotia gerere coepit, annum aetatis agens decimum quartum, probe jam menstruata atque pubes facta. His negotiis octo annos perfuncta, nec ullum gravem morbum perpessa, tandem anno servitii nono, aetatis autem vigesimo tertio, causam futuri mali admisit. Die enim Junii mensis anni seculi nostri septimi admodum pluvioso, cum currum monotrochum gramine recens messo onustum prae se domum reveheret, altero pede vacillante tota corporis mole in dextrum ossis ischii tuber corruit. Non impune tulit huncce lapsum puella. Etenim non ita multo post dolorem persensit in dextro inguine orientem, quem secutus est tumor parvus et rotundus, inter labium pudendi externum et crus dextrum, non multum a tubere ischii proveniens. Tertio ab orto tubere mense puella, doloribus affecta chirurgum pagi vicini adiit, qui, malo obiter viso, bracherium aegrae applicavit, quo scilicet retineretur tumor. Id ubi non factum est, et tumor doloresque a vi extrinsecus accedente manifesto creverunt: remoto bracherio Lipsiam se contulit aegra, bracheriopoei alicujus auxilium imploratura. Hic, malo viso et diligenter examinato, bracherium excegitavit ad reprimendum tumorem aptum. Sed et alterum hoc seposuit, speratum levamen, quod credibile erat, inde non experta. Integer fere annus ab orto malo, lapsum dico, praeterierat. Aegra, utroque bracherio tam exiguo successu usa, per biennium integrum, quo ancillari perrexit, malum neglexit, spreto omni et medicorum et chirurgorum auxilio. Creverat autem interea ad tantum volumen ille appendix, ut misera, a faciendo opere inde prorsus impedita, servitio sese abdicare cogeretur. Jam denuo medicorum auxilium implorare decrevit, eamque ob causam Lipsiam ad Cl. Oetzmannum, Medicinae et Chirurgiae Doctorem, sese contulit, qui, malo

viso, aegram ad ill. Rosenmüllerum, Anatomes tum Professorem, misit, abs quo ad Eckoldum, Nosocomii ad St. Jacobum chirurgum ablegata est aegra. Eckoldus, ad removendum tumorem operatione opus esse intelligens, suasit aegrae, ut in nosocomium publicum se conferret, et operationi se subjiceret, qua in re dicto obtemperantem eam habuit. Haec operatio, cui interfui, peracta est anno seculi nostri octavo, die Januarii mensis decimo tertio. Jam cum hocce opusculum omni, quantum fieri potest parte absolutum in publicum emittere velim, a re non alienum esse mihi videtur, Eckoldi sententiam de mali natura, ejusque sede, methodumque, qua usus removere studuit tumorem, summatim hic inserere. Quod ad naturam mali pertinet, non definitam de ea tulit sententiam, utrum pro steatomate, an pro hernia polypove esset habendum. Ex methodo tamen, quam ad exstripandum tumorem delegit, pro polypo ab eo habitum fuisse malum quodammodo concludi potest. Item de sede mali nihil certi pronunciavit, e foramine obturatorio sibi provenire videri tumorem dicens, quod mihi tum, ut obiter hoc moneam, secus visum est, ex incisura ischiadica potius eum provenire rato.

Ekoldus opinione, quam de sede tumoris fovebat, fretus, aegram supinam in tabula poni, tumoremque ab uno eorum, qui ei ad manus erant, sursum et abdomen versus tolli jussit. Tum ipse in dextrum genu declinatus, tumorem in longitudinem diffidit, secansque inter cutem et tumoris massam, huncce nudare et altius persequi studuit. Animadvertens vero post hanc, in qua exstirpanda occupatus erat, massam, alias pullulare, et ulterius secare nimis periculosum esse censens, totam massam forti ligatura circumdedit, et quod infra hanc restitit, resecuit. Resecta haec tumoris massa pondere libras duas et dimidiam aequabatur. Ad uniendos vulneris margines aliquot ligaturae applicatae, reliqua naturae viribus relicta sunt.

Non possum quidem omnia et singula ad curationem chirurgico-therapeuticam spectantia referre, neque multum interesse lectoris, reor, ea scire; hoc tamen pro certo affirmare possum, non multum post operationem institutam eodem loco, quo resectus fuerat tumor, massam apparuisse luxuriantem, et ad eam coercendam delendamque varia caustica frustra fuisse tentata. Tandem eo perventum est, ut vulnus cicatrice obduceretur, et aegra nosocomio exiret. Id factum est ineunte Junio mense anni millesimi octingentesimi noni. Annum igitur et fere dimidium in nosocomio degerat aegrota.

Sed non multum post ejus ad suos reditum inter orificium ani et tuber ossis ischii dextri tumor ortus est, circumscriptus, pugni magnitudinem aequans, ab initio non dolens et lente crescens. Hanc etiam ob causam puella, primis sex, quos domi transegerat, mensibus praeterlapsis, iterum ancillari coepit. Crevit interim novus hic tumor, sed tam lente, ut septimo demum ab hoc tempore anno iterum a mole ejus in opere faciendo impedita, ancillari desinere et ad medicos confugere misera cogeretur. Memorandum est, quod, aegra ipsa referente, nullo tempore celerius crevit tumor, quam paucis illis diebus, quibus ad Lipsiam pugnabatur, cujus rei causa, ut mihi videtur, in trepidatione anxiaque, quae omnes invaserat, rerum futurarum exspectatione quaerenda est. Servitio relicto aegra plures consuluit medicos, sed ab omnibus dimissa, stultum esse et temerarium a quoquam mortalium contra hujusmodi malum opem exspectare dicentibus. Mense Januario anni seculi currentis decimi septimi me quoque adiit aegra, triste illud, quod acceperat, solatium mecum communicans meumque implorans auxilium. Certiorem igitur me facturus, quatenus vera esset, quam de malo tulerant priores medici, sententia, accuratius et in universam aegrae valetudinem inquisivi, et deinde tumorem ipsum inspexi et exploravi. Utriusque hujus examinis summam hic cum lectoribus benevolis communico, subjungens simul cum ingentis tumoris, tum partium vicinarum et in mali societatem tractarum accuratam delineationem, quam tum a Schroetero nostro, de chalcographia bene merito, faciendam curavi. Verbalis enim hujusmodi mali descriptio, vel accuratissima, sola non sufficere mihi videtur, ut perfectam ejus sibi fingant lectores imaginem, quibus sic optime succurrere mihi videor.

Quod ad tertiam harum tabularum pertinet, in ea exhibitae conspiciuntur eorum steatomatum delineationes, quae in primo itemque maximo exstirpando occupatus detexi. Ne mirum tamen cuipiam videatur, quod pro effigie corporis humani, in quo deprehensa sunt ista steatomata, pelvis tantum sceletum exhibui, monendum est, me addentem hanc tabulam nihil aliud spectasse, quam ut indicaretur eorum sedes et limites, quibus erant circumscripta, neglecta quae iis cum partibus vicinis intercessit conjunctione. Alias enim multum augendus fuisset tabularum numerus, si varios, quos procedente operatione se obtulerunt adspectus, exhibere voluissem, quo nimio etiam libellus ipse stetisset.

Praemissis igitur, quae necessariae mihi videbantur de universa aegrae valetudine quaestionibus, quarum summa deinceps referetur, malum ipsum inspicere perrexi. Obstupui, tam tristis et misericordiam movens erat hujus adspectus. Revelatis enim vestibus, ingens appendix steatomatosae naturae, cujus accurata delineatio in tabula prima conspicitur, in conspectum venit. Monstrosa haec moles, quae postea resecta octodecim libras et dimidiam civiles aequavit, inter orificium ani et tuber ossis ischii proveniens, alterius podicis instar ad poplites usque pependit, ita ut misera, gravitate ejus onusta, non tres quatuorve gressus erecto corpore facere posset. Quovis enim gressu genua ejus flectebantur, et semper in periculo erat, ne supina humi procumberet. Sedere in extrema tantum sellae parte et in sinistro duntaxat femore ei licebat, utrique ad molem corporis fulciendam manui innitenti. Item in lecto jacere molestum ei magis erat, quam gratum viresque reficiens, cum raro et molestia tantum steatomatis victa et defatigata unius alteriusve horae somno frui posset. Faecium et urinae excretio praesentia hujus mali admodum impedita et magnis cum molestiis, magnaque cum immunditie erat conjuncta. Etenim orificium ani, naturali, quae circularis est, forma gravitate appendicis amissa et elliptica magis assumpta, ita compressum erat et detractum, ut excretiones alvinae non peragi possent, nisi ab aliquo adiutore moles illa sursum et ad latus tolleretur. Hoc tantum modo et ego ad orificium ani pervenire et explorandi causa digitum indicem in intestinum rectum introducere potui. Jam sphinctere vix superato, inveni dextrum hujus intestini parietem in diverticulum aliquot pollicum dilatatum et cum ipso steatomate concretum. Haec de iis, quas intestinum rectum ejusque functiones expertae fuerant, mutationibus. Jam de iis, quae in vagina ejusque partibus obviae erant, et de mingendi molestiis inde ortis exponam.

Deprehendi labium pudendi externum lateris dextri ad ovi gallinacei volumen auctum, et in massam carnosam et duram degeneratum; internum autem formam et volumen digiti hominis adulti exaequans, externo erat dimidio longius et sub eo prominens, cono, basi sua terram spectanti haud absimile, duritie autem ab externo non differens. Exhibere studui utriusque labii formam in tabula secunda, quae conferatur. Hoc monstroso autem labio urethrae orificium ita distractum erat et occlusum, ut urina fluxus inde repercussus, deorsum et quodammodo in ipsam vaginam dirigeretur. Hinc urina sedente tantum aegra, labioque hoc digitis in vaginam immissis

dimoto, mitti poterat. Sed ne sic quidem prorsus impedire potuit aegra, ne quid urinae et in crure et in steatomate decurreret cutemque corroderet. Ex his apparet urinae excretionem non minore conjunctam fuisse cum difficultate, quam faecium. Labia pudendi sinistra ita extenuata, sinistrorsum dimota consumptaque atrophia inveni, ut, quid essent, vix agnosci posset. Dextra vaginae pars corpore aliquo, post eam obvio, gibboso et duro penitus fere evanuerat. Uterum inveni mobilem, vaginalem autem ejus portionem iusto breviorem et penitus sinistrorsum dimotam.

Taceo alias minoris momenti molestias, ut immunditiem ob impeditam urinae faciumque liberam excretionem, indeque ortas natum crurumque excoriationes, nec non pressionem, quam tumor steatomatosus in glutaeorum superficiem perpetuo exercebat, in qua fossa erat conspicua, totam massae partem superiorem in se recipiens, et continua partium frictione epidermide denudata et exulcerata.

Haec sunt, quae oculis digitisque instituta exploratio docere potuit.

Universa autem puellae valetudo melius erat comparata, quam pro praesentia tanti, fere prodigiosi tumoris exspectari poterat. Corpus ejus quidem erat emaciatum, sed ea ipsa omnis febris expers, nullaque corporis functio admodum perturbata deprehendebatur, imo vel catamenia recte fluere hucusque non desierant.

Iam quaestio subnascebatur, quid faciendum esset; utrum praestaret, Deo bono transmittere aegrotam, id est inevitabili eam cedere morti, an remedio aliquo, malo non impari, eam servare studere. Quis autem est, quin videat, ab uno tantum remedio, quo nihil reperitur efficacius, cultrum dico chirurgicum, omne auxilium esse exspectandum, et sine eo miserae certo certius et mox fore pereundum? His ingenue, et ea qua decet humanitate aegrae expositis: ipsa sine ulla haesitatione et summa cum fiducia se cultro et quovis vitae discrimine ab onere liberari velle respondit.

Quae autem ad id praestandum ingredienda esset via, haec erat quaestio, priore ad solvendum paulo difficilior. Sed num bene eam solverim, secandi consilium capiendo captumque impedimentis inter ipsam secandi operam aut caute vitatis aut fortiter superatis, persequendo, id videant iudicentque et omnio lectores benevoli, et inprimis medici atque chirurgi periti, penes quos stat iudicandi ius atque facultas. Suscepta autem a me est operatio die Junii mensis undecimo anni seculi currentis decimi septimi. Interfuerunt ei Viri maxime Venerabiles Kühnius et Rosenmüllerus, Facultatis medicae Lipsiensis Professores, Jörgius, artis obstetriciae, et Kuhlius, chirurgiae

Professor, Oetzmannus, Ceruttius, Baumannus, et Bockius Medicinae et Chirurgiae Doctores, multique alii artis nostrae divinae cultores.

Jam cum mihi persuasum haberem, sedem originemque steatomatis intra pelvim esse, idque ipsum ex incisura ischiadica provenire: aegram in tabula firma beneque stabilita pulvinaribusque tecta pronam poni jussi. Ad utrumque tabulae latus duae sellae erant collocatae, quibus pedibus inniteretur aegra, ita ut inter crura ejus divaricata stans, pro re nata inter secandum libere moveri possem. Ad manus pedesque aegrae, hunc in modum dispositae, figendos tenendosque quatuor elegi socios, quinto forti et robusto partes tribui appendicis utraque manu comprehendendi et versus se sursumque tollendi, ita ut ab ani orificio retraheretur et constanter tenderetur. Ipse autem, efficaci meo cultro armatus, inter divaricata aegrotae crura stans, medium labium pudendi dextrum incidi, et hinc versus inferiorem labii interni extremitatem cultrum flectens, perinaeum raphemque attigi, juxta quam ulterius secans et orificium ani proxime ad sinistrum relinquens, in posteriore et interna steatomatis superficie adscendi, et tandem prope cristam ossis ilei substiti. Initium hujus plagae, qua cutem penitus diffidi, indicatum est in tabula secunda litera a, fines ejus litera e tabulae primae sistit, literis autem b, c, et d via indicatur, quam secando emensus sum. Ex hac plaga, tam profunda tamque longe exporrecta, sat magna venosi sanguinis copia profluxit, quod multa vasa varicosa in cute serpentia fuerant dissecta. Hinc ea, quam cultro mihi praemonstraveram, via profundius incidens, suffodere studui steatoma, quod adeo cum partibus subjacentibus concretum inveni, ut ne lineae quidem spatium sine cultro mihi patefacere possem. Tertia fere steatomatis parte suffossa et nudata, eodem modo sinistram et externam ejus superficiem circumcidere mihi visum est. Jubebatur igitur socius, totam massam in oppositum, i. e. sinistrum latus dimovere, eamque sursum tollendo bene tendere. Quo facto eundem, quem prius incideram labii pudendi externi locum incidi, cultrumque extrorsum dirigens, et inter steatoma et crus dextrum secare pergens, in posteriore et exteriore tumoris latere et post trochanteres altius tendi, eodem tandem, quo ante, loco subsistens. Initium hujus plagae notatum est in tabula secunda litera a; locus ubi inter steatoma et crus dextrum penetrans antrorsum sursumque vergi, litera f denotatur; literis g, h et i tabulae primae, via significatur, qua illuc veni, ubi subsistere volui, litera c denique, quo tandem substiti. Ambitus utriusque plagae ellipticus quodammodo dici poterat.

Ut ante, ita et nunc via cultro praemonstrata profundius incidi, ab hoc quoque latere steatoma suffodere et una proprius ad incisuram ischiadicam accedere studens. Hoc quoque in opere omnes partes et subjacentes et vicinas, ut musculos et fascias ita degeneratas et steatomati intertextas deprehendi, ut ne temporis momentum quidem cultro carere possem. Sic ab ambitu massae steatomatis versus incisuram ischiadicam tendens, vulneris formam nactus sum magis circularem. Quo propius autem ad hanc incisuram accessi, non sine aliquo stupore aliam, et ab ea, in qua exstirpanda occupatus eram, sejunctam animadverti massam steatomatoidem, cum forma tum volumine pugno hominis adulti haud absimilem. Effigies alterius novique hujus steatomatis, de quo deinceps fusius dicetur, exhibita est in tabula tertia et crucis signo denotata.

Nihilominus autem radicem magni steatomatis ulterius persequi pergens, inveni, ejus fibras cum altero hoc corpore leviter cohaerere, et quodammodo cum eo esse agglutinatas. Ita arcte vero cum ligamento sacrospinoso et sacrotuberoso cohaerebant, vel potius his ligamentis intertextae erant, ut non sine magna difficultate cautoque cultri usu ab iis separari possent. Id ubi factum est, in conspectum venit extremus steatomatis fasciculus tendinosus, tres fere digitos latus, et inter dicta ligamenta et os coccygis et sacrum altius in pelvis cavitatem recedens. Suspicans vero, hunc fasciculum cohaerere cum intestino recto, indicem digitum huc introduxi; nec me mea fefellit opinio. Etenim cum deorsum flecti, vicibusque iteratis tendi relaxarique juberem steatomatis molem: sensi digitum meum in intestino remanentem comprimi et simul cum intestino in spatium, quod inter os coccygis et ligamentum spinoso-sacrum relinquitur, trahi. Experimento hoc de existente nexu steatomatis cum intestino recto certior factus, de eo abolendo cogitavi. Hunc in finem duobus usus sum sociis, quorum alterum jussi, digitum indicem tam alte, quam fieri poterat, in intestinum rectum introducere, et hoc digito in unci formam flexo, intestinum ipsum inter os coccygis et ligamentum sacrospinosum, meque versus propellere; alterum autem captum steatoma dextrorsum et deorsum leviter detrahere et fortiter tendere. Quo facto iterum cultro armor, et intestinum rectum ad tres fere pollices in altum, et ad unum pollicem ad latus a steatomate sejungens, altius in concava et anteriore ossis sacri superficie tendi, semper radicem steatomatis ducem secutus. Nexu, qui steatomati et intestino recto intercesserat, sic sublato, hoc ipsum in pristinam naturalemque

sedem rediit. Ubi perveneram tandem ad initium symphysis sacroiliacae, sedem quoque et solum quodammodo extremae corporis steatomatoidis radicis me nactum esse sensi, qua quidem et ipsa feliciter succisa, ipsa moles steatomatoides a corpore sejuncta decidit.

Jam parum abfuit, quin et ego et mecum venerabiles, qui aderant, Medicinae et Chirurgiae Professores Doctoresque putaverimus, me opus inceptum paene profligasse. Et magnam profecto gravemque ejus partem absolveram, major tamen graviorque absolvenda restitit. Radicibus enim steatomatis, quibus cum ligamento sacrospinoso rectoque intestino cohaerebat, et in symphysi sacroiliaca oriebatur, succisis, eoque ipso remoto, ingentem vulneris superficiem bene perspicere et accuratius examinare potui. Haec faciens omnem meam attentionem in tumorem illum direxi, quem paulo ante, in exstirpando steatomate magno occupatus, animadverteram, eamque ob causam intactum reliqueram. Hic tumor autem in ipsa pelvis cavitate oriens, ex incisura ischiadica prominuit, figura et volumine pugno hominis adulti non absimilis, hinc illinc gibbus et in partibus, illius incisurae lumen efficientibus, osse ilei, sacro, ligamentoque sacrospinoso circumcirca positis, lata area fungique instar sese extendens. Fines, quibus circumscriptus tumor partes modo dictas obtexit, notati sunt in tabulae tertiae figura secunda, literis k, l, m, n, o et p adscriptis. Quamvis ex colore tumoris albo et superficie nitida sat probabiliter concludere poteram, eandem esse ejus naturam et structuram, quam steatomatis modo eradicati, tamen, ne nimiae relinqueretur locus dubitationi, superficiem ejus in latum diffidi, remque ita se habere inveni. Hinc massam ipsam efficaci meo cultro aggrediens, primum deorsum, deinde sursum et incisuram ischiadicam versus secando, arcte quidem eam cum periosteo cohaerere sensi, longe arctius tamen et cum ipsis ligamentis sacrospinoso et sacrotuberoso et ubi hoc illi, illud autem superne ossi sacro, inferne spinae ossis ilei inseritur. Conferatur hac de re ejusdem tabulae tertiae figura secunda, ubi arctioris illius nexus loca literis k, p et o notata conspiciuntur. Tumore hac ratione in circuitu circumfosso, marginem incisurae ischiadicae osseo-ligamentosam attigi, fibrisque tendinosis quibus et hic cum steatomate exeunte nectebatur, dissectis, inveni, quod non eram suspicatus, illius radicem altius in pelvim recedere. Jam quid nunc faciendum esset, quaestio fuit, utrum consultius esset pergere in secando, an desinere. Multa enim satis gravia pro utroque proferri poterant. Cuique

enim, chirurgiae non omnino hospiti, apparebit, non levem esse et temere suscipiendam rem, dempta omni luce, et tot tantisque nervis vasisque vicinis, et hinc, quotiescunque incidendum erat, vita hominis periclitante, steatoma eradicare velle, quod insuper ignorabatur, quam alte lateque in pelvim recederet. Taceo ea, quae, re male cedente, ipsius chirurgi famam manere solent. Nihilominus tamen secunda, qua hucusque in secando usus eram, fortuna fretus, et praesentia tot tantorumque artis nostrae peritorum virorum inspiratus, hortatuque aliquot eorum audacior factus, de novo adversarium aggrediendi, et, si qua esset necessitas, ad extremas usque latebras persequendi, ardore percalui. Huc accessit, quod turpe et inhonestum mihi videbatur, coeptum opus imperfectum relinquere, et aegram tot tantosque dolores passam majoribus forsan, fine operationi facta, malis exponere. Hinc omni, qua compos eram, et quam difficilis haec periculosaque operationis pars flagitabat, circumspectione, judicio et audacia cultrum meum in ipsam pelvis cavitatem introduxi, ea mihi optans, quibus quemque chirurgum instructum esse jubet vir artis nostrae facile principibus accensendus, dicens, habere debere chirurgum cor leonis, oculos lyncis manusque puellae.

Sinistra igitur manu externam solutamque massae steatomatoidis partem comprehendens et in pelvim osque sacrum versus reprimens, fibras, quibus steatoma internae et ligamenti sacrospinosi et ossis ilei superficiei nectebatur, dissecui, primum sursum, et lineam arcuatam, deinde retrorsum, et hanc ipsam lineam ducem secutus, symphysin sacroiliacam petens. Denotata est haec, quam cultro mihi apperui via, in tabulae tertiae figura secunda literis p, o et l. Ita spatium sat amplum nactus, ambitum, et, si qua possem, radicem steatomatis digitorum ope explorare studui. Id faciens, inveni hanc massam steatomatoidem in ipsa linea arcuata, mediaque symphysi sacroiliaca, non longe supra prioris steatomatis radicem, usque ad os sacrum exporrigi, et inde, aliquam hujus ossis partem occupantem, in concava et anteriore ejus superficie, et juxta magnos nervos sacrales ad insertionem ligamenti sacrospinosi descendere. Indicati sunt hi steatomatis fines in tabulae tertiae figura secunda punctorum serie a litera o usque ad literam r semielliptica propemodum directione exporrecta, et inde deorsum ad literam k descendente. Finibus igitur massae steatomatoidis exploratis, tres digitos in unci formam flexos in spatium modo patefactum introduxi, et steatoma, pollicem ei innixus, in pelvim reprimens atque tendens, fibras,

quibus cum linea arcuata, symphysi sacroiliaca, osse sacro et insertione ligamenti sacrospinosi cohaerebat, incidi. Nullibi autem hoc secandi negotium periculi erat plenior, quam juxta insertionem ligamenti sacrospinosi, qui quidem locus litera k notatus est. E longinquo enim, et cum multae adhuc dissecandae essent partes steatomatoides, digitorum meorum extremitatibus arteriam hypogastricam fortiter pulsantem sensi, et omni, qua utebar, cautione non potui non laedere magnum ejus ramum. Jam tantum erat arteriae dissectae sanguinis profluvium, ut, ulterius secare inde prorsus impeditus, ad ligaturam confugere cogerer, quod mihi tandem, quamvis arteria in ima pelvi remota, contigit, curva utenti acu. Nunc demum in secando pergere potui. Eodem igitur, quo dixi, modo iterum comprehendens, solutam steatomatis partem eamque tendens, quod restitit fibrarum dissecui, ab insertione ligamenti sacrospinosi versus promontorium et symphysin sacroiliacam adscendens. Ita undique ambitum steatomatis circumcidens, extremum tandem ejus fasciculum (vel potius radicem detexi, digitoque indice diligentius explorans, inveni eam admodum tenacem et corio similem, ad digitos tres latam, partim in ipsa symphysi sacroiliaca, partim in linea arcuata et paulo supra eam orientem. Existimavi autem locum, quem occupabat, unum pollicem longum totidemque latum. Jam haec in ipsa sede cultro aggredienda succidendaque restitit, ultimus quidem operationis actus, sed periculosissimus et in quo totius laboris cardo vertebatur. Etenim arteria iliaca, formidabilis et in insidiis collocati hostis instar, contra digitos meos fortiter pulsavit, summa cum cautione agendum esse monens. Sed profligandum erat inceptum opus, neque minimum, quam res flagitabat, non secandum. Jubetur igitur sociorum unus comprehendere solutam et ex incisura ischiadica dependentem steatomatis partem, eamque detrahendo bene tendere. Tum ego, tres manus sinistrae digitos compressos in pelvim introducens, arteriam iliacam sursum a steatomatis radice repressi. Arteriam sic contra omnem injuriam tuitus, audacter ipsam steatomatis radicem succidi, ne gutta quidem sanguinis ultimo hoc laboris momento destillante.

Remoto hinc steatomate in conspectum venit patefactus incisurae ischiadicae aditus. Dimidia pelvis pars magno cavo erat similis, ut, quomodo tandem talis cavitas expleretur, mecum cogitarem. Interim de steatomate non reversuro eram certissimus, nam in exstirpando ne fibram quidem reliqueram.

Dempto secundo hoc steatomate, tertium eradicandum restitit, cujus volumine

utrumque labium pudendi dextrum monstrose auctum conspicitur; natura quidem a prioribus non differens, sed loci intervallo penitus ab iis disjunctum. Delineatum conspicitur tertium hoc steatoma in tabulae tertiae figura secunda et duplicis crucis signo denotatum. Sedes ejus erat in ipso ossis ischii tubere, unde ad insertionem ligamenti sacrotuberosi retrorsum adscendit. Alia ejus pars in ramo ossis ischii adscendente et ossium pubis descendente usque ad symphysin horum ossium exporrecta utramque horum ramorum superficiem, et ipsum ossis ischii tuber circumcirca obtexit. Notatus est posterior tertii hujus steatomatis finis in ejusdem tabulae figura litera s, anterior, litera u, litera t autem decursus ejus est denotatus. —

Exstirpatio tertii hujus itemque minimi steatomatis minoribus cum difficultatibus erat conjuncta quam priorum. Hunc autem in modum processi: Incidi cutem paulo post tuber ossis ischii et inde altius vergens cultrum, cum pudendi labii locum attigi, quo prius incidere coeperam, qui locus in tabula secunda litera a notatus est. Hinc labio externo, steatomatis volumine tumefacto in longitudinem diffiso, incisionem versus symphysin ossium pubis exporrexi. Notatus est ejus finis in eadem tabula litera v. Tum inter internum vulneris facti marginem et steatoma profundius secui, id ipsum ambiens et a labiis ipsis dextroque vaginae pariete separans, ramumque ossis ischii adscendentem petens. Sic utrimque corpore steatomatoide suffosso et a partibus vicinis separato, sedes ejus ossea in conspectum venit, ex qua facile succidi poterat.

Nunc demum cruentam operis mei partem profligatam esse, dici poterat. Emetiens jam vulnus, inveni ejus fines in longitudinem, i. e. a crista ossis ilei usque ad symphysin ossium pubis patere pollices viginti, in latitudinem autem i. e. ab orificio ani usque ad trochanterem, pollices undecim. Ossa, ligamenta, vasa, nervi et musculi a partibus steatomatosis soluti nudatique conspiciebantur, ita ut dextra pelvis pars perfectum in homine vivo sceletum exhiberet. Quare nemini lectorum mirum visurum esse credo, si, quod ingenue fateri non dubito, et a me et a Venerandis Experientissimisque, qui aderant, Viris, tam ingens vulnus non sine horrore aliquo adspici poterat. Et nihilominus tamen d i v i n a e nomine artem nostram compellare ausim, utpote quae expugnat, quae medicinae proprie sic dictae nimis ardua videntur et inexpugnabilia.

Hinc de uniendo vulnere, quatenus fieri poterat, cogitavi. Quod cum ob ingentem massae jacturam nullo pacto effeci posset, utrimque magnam cutis partem a

subjacentibus musculis separavi. Hac tantum ratione effectum est, ut uterque vulneris margo a crista ossis ilei ad orificium ani descendens, sibi admoveri et quinque ligaturis cruentis contineri posset. Quod infra quintam ligaturam ipsumque ani orificium vulneris restitit, id tum ob abundantem, quae in ima pelvis cavitate futura erat, suppurationem, tum ob locum in tubere ossis ischii scabrum et periosteo denudatum, qui locus in tabulae tertiae figura secunda litera w punctisque adscriptis indicatus est, apertum et linteis carptis impletum tectumque relinquere visum est. His lintea duplicata imposita, et ut omnia bene firmarentur continerenturque spica applicata.

Curatio chirurgico-therapeutica.

Finito, quod in fasciis applicandis versatur, negotio, aegra in lectum reportata, eique, viribus admodum exhaustae et fere semianimi aliquot generosi vini haustus propinati sunt. Ceterum ne ullum quidem accusavit symptoma, quod celerem promptamque flagitasset opem. Tormina enim de quibus conquerebatur aegra, solummodo eo provenire visa sunt, quod inter operationem prona procubuerat, et a sociis, qui videndi cupidi ei incubuerant pressa fuerat. Quamobrem optimum mihi visum est, eam sibi ipsi relinquere, quo facilius ad se redire animumque recipere posset. Hora sexta vespertina, cum primo reviserem aegram, eam inveni admodum hilarem, et, quod ab onere suo liberata fuerat, valde laetantem. Vomuerat tamen, quod sitienti ei satis imprudenter multum aquae frigidae propinatum fuerat. Vulnus ne minimum quidem dolere aegra retulit, attamen in fasciarum linteis macula sanguinea ovi columbini magnitudine conspicua erat, ad quod haud scio an vomendi conatus aliquid contulerint. Pulsus aegrae multo liberiores fortioresque inveni, quam antea. Hora decima cum ad aegram reverterer, nihil fuerat mutatum, omni dolore adhuc libera de siti tantum aegra querebatur. Intra decem, quae post operationem fluxerant, horas, bis minxerat, et quidem sine ullo dolore. Praescripsi potionem nitrosam et Infusum Valerianae sylvestris, et ne quid omissum videretur, juvenem medicum custodem reliqui.

Altero mane, i. e. die Junii 12. cum aegram viserem, a custode mihi relatum est, eam bis dormivisse, primo duas, postea tres horas, et experrectam potum desi-

derasse. Ego ipse inveni aegram admodum hilarem, ab omni febre doloribusque cujuscunque generis liberam. Esurienti ei jusculi aliquid, et aliquot haustus boni vini porrigi jussi. Placuit etiam pergere de die in usu potionis nitrosae et Infusi Valerianae et per noctem custodem relinquere.

Die Junii 13. cum hora nona matutina viderem aegram, retulit custos, eam minus bene dormivisse quam praecedente nocte, ructasse saepius doloresque gravantes in abdomine accusavisse. Hinc custos, abdomine ejus examinato eoque densius invento, clysma injecerat. Quod cum nihil effecisset, bihorio post alterum immiserat. Cum me adveniente neutrum alvum solvisset, faeces altius in intestinis retineri putavi eamque ob causam leni laxativo opus esse.

Praescripsi itaque hujusmodi electuarium:

Rpe. Pulv. Fol. Sennae ʒjβ
Sal. mir. Glaub. ℥β
Pulp. Tamarind. ℥j
Oxyml. simp. qu. sat. ut f. Electuarium

Hujus electuarii omni bihorio cochlear minus aegrae dari jussi, donec alvus solveretur. Hora quinta pomeridiana cum reviserem aegram, admodum febricitabat, et cum electuarium, cujus quinque doses praescriptas sumserat, vim suam exserere coepisset, de levibus torminibus conquerebatur. Cum ex borborigmis, qui audiebantur, concludi posset, mox alvum solutum iri, intercipere visum est electuarii usum, et clysma immittere.

Die Junii 14. Cum hora nona adirem aegram, tres habuerat sedes sat largas. Hinc quiete obdormiens post tres horas laeta fuerat experrecta. Me adveniente ne minimum quidem dolorem neque in vulnere neque in abdomine accusavit. Id unum enixe a me petiit, ut a fasciis praecedentibus evacuationibus inquinatis liberaretur; quod extemplo factum est et sine magno aegrae dolore. Fasciae fluido ichoroso penitus erant madefactae. Vulnere obligato de fame conquerebatur aegra, ad quam sedandam jusculum cum vino ei porrigendum curavi. Cum sub vesperam redirem, febrem traumaticam admodum accensam inveni, eamque ob causam in usu potionis nitrosae strenue pergere placuit.

Die Junii 15. Cum viserem hora consueta aegram retulit custos, eam dormivisse quidem, sed dormientem multa inania locutam esse. Mihi ipsi singulare quid in

ejus obtutu detegenti, et percontando rei causam resciscere studenti, relatum est, aegram die praecedente capillos clam sibi praescidisse. Fasciae cum renovarentur, eae puriformi magis materia repletae inventae sunt male olente. Ligaturam valde strangulantem solvi, eaque soluta multum illius materiae emanavit. Fasciis applicatis iterum famem accusavit aegra, ad quam compescendam, hodie jusculum cum vitello ovi ei dari jussi. Ceterum ob ea, quae per noctem fuerant observata, visum est omittere potionem nitrosam et in locum ejus substituere Infusum Valerianae sylv. c. Extracto Taraxaci et Liquore c. c. succinato conjunctum. Cum sub vesperam viderem aegram, de doloribus in vulnere lancinantibus conquesta est, ab incisura ischiadica usque in imam pelvim exporrectis. Deciderat enim aliquid ex lecto ejus, quo admodum fuerat perterrita, et hinc dolores isti subsecuti.

Die Junii 16. Cum adirem aegram, mihi retulit se bene quidem dormivisse, sed magnos in vulnere sentire dolores. Fasciis remotis hodie multo minus suppurasse vulnus inveni, quam diebus praecedentibus. Pus prope labium pudendi externum bonae, prope intestinum rectum contra malae indolis. Aliquot ligaturae margines vulneris inflammatos et tumidos nimium angentes relaxatae sunt, una earum supra orificium ani demta. Ab opere finito per totum diem bene se habuit aegra, si levem exceperis horripilationem sub meridiem ortam. Febris sub vesperam mediocris, spes futurae noctis quietae.

Die Junii 17. cum renovarentur fasciae, in vulnere hic illic locus erat conspicuus bono pure obtectus. Hodie duae ligaturae retractae. Pergitur in medicina praescripta. Cum sub vesperam reverterer ad aegram, eam tam alte et quiete dormientem inveni, ut somno ejus non perturbato discederem.

Die Junii 18. septimo ab operatione facta, cum post noctem quietam renovarentur fasciae, quinta tandem retracta ligatura. Alvus sat largiter soluta fuerat. Suppuratio in dies melior. Observabatur etiam hodie, partem cicatricis, quae ex priore operatione remanserat, magnitudine duorum pollicum juxta labium pudendi, in gangraenam abire. Hanc ob causam, maxime vero ob ingentem, quae locum habitura erat, suppurationem, omni modo viribus aegrae succurrere visum est, quem ad finem non noveram remedium laudabilius et praestantius, quam Corticem Peruvianum. Ordinavi autem eum hunc in modum:

Rpe. Cort. Peruv. opt. ℥β
Coque c.
Aquae font. ℥χ
ad remanent: ℥vj
Adde
Liqu. a. m. Hoffm. ʒj

Hujus decocti tempore antemeridiano omni bihorio cochlear sumi jussi. Sub vesperam ad aegram reverso mihi relatum est, eam de die fuisse admodum inquietam, multum a flatibus ructibusque passam, mingentemque in regione umbilicali dolorem sui generis persensisse. Horripilatio heeterna non redierat. Ab hoc inde die usque ad vigesimum sextum ejusdem mensis diem, haec commemoratione digna videntur: Propinatur apyrexiae tempore Decoctum Corticis Chinae, et horis pomeridianis Infusum Valerianae et ad intestinorum inertiam promovendam idonea electuarii dosis. Gangraenosa illa cicatricis pars, cujus antea mentionem feci, ceciderat, ut et ligatura ramo arteriae hypogastricae dissecto applicata. Ubique carnis granulatio apparet, ad quam promovendam Balsamus Locatelli in usum vocatur. Die ejusdem mensis vigesimo quinto quod supra orificium ani erat vulneris, cicatrice tegebatur. Hodie emetiens quod infra ani orificium restitit vulneris: inveni id patere in longitudinem pollices quatuordecim, in latitudinem unum et dimidium.

Die Junii mensis 26. sub vesperam ad aegram reverso mihi relatum est, eam correptam fuisse frigore sat vehementi, quod secutus erat calor, me adveniente adhuc durans. Strenue pergendum esse putavi in usu Infusi Valer. cum Extrato Taraxaci et Liquore c. c. succ: Altero mane retulit aegra, se bene dormivisse atque sudasse. Appetitus tamen erat nullus, lingua obtecta, alvus pertinaciter clausa, pulsus admodum excitati, in facie aegrae singularis tristitia. De toto die status idem. Sub vesperam, praeter consuetum medicamen, electuarii dosis propinata. Reputans autem mecum frigus sequentemque calorem febrilem, quibus correpta fuerat aegra, noctes parum quietas, hilaritatem ejus imminutam, obtutumque mutatum: non temere verendum esse putavi, ne his, quorum manifesta causa non aderat, novi quid portenderetur. Nec me mea fefellit opinio. Etenim cum die Junii mensis vigesimo octavo renovarentur fasciae, in externo vulneris margine, orificium ani contra, materiam albam, fluori feminarum albo simillimam, observavi. Jam diligentius huncce locum

explorans, aperturam detexi acus capitis magnitudine, quae externa fistulae apertura esse videbatur. Hinc digitum indicem dextrae manus in intestinum rectum, sinistrae autem in vaginam introducens, partes versus locum pressi, quo aperturam illam detexeram. Quo facto statim magna illius materiae emanavit copia, ex quo concludi, eam ex ipsa pelvi et per incisuram ischiadicam provenire. Specillo exploratorio eam ob causam uti nolui, quod verebar, ne in molli papillarum carnearum textura novos facerem canales. Adspectus reliqui vulneris bonus. Tempore vespertino cum renovarem fascias, multum dictae materiae emanasse inveni. Ceterum per diem non male sese habuerat aegra, febris fuerat levis, appetitus bonus, alvus aliquoties soluta. Sequentibus diebus conditio aegrae eadem, materia autem illa copiosior facta, puris potius naturam affectavit. Hinc de adjuvando ejus potissimum profluvio cogitans, aegram dextro lateri incumbere jussi. Iterum enim digito indice intestinum rectum explorans, in pariete ejus dextro tumorem detexi fluctuantem et ab attactu valde dolentem. Praeterea, infiltrationes illius materiae praeversurus, in omnem canalis tractum injeci aquam tepidam, viribus autem, et hoc profluvio et reliqua suppuratione admodum labentibus, hac medicina succurrere studui:


R pe. Cort. Chin. peruv. opt. ℥j
Coque c.
Aquae fontanae ℥xjj
ad remanent: ℥vj
Colaturae adde
Elix. Roberti Whytt. ʒj

Pro victu quotidiano ordinavi juscula cum ovis juncta, vinum et carnes. Sub vesperam ad aegrotam reversus audivi, eam paulo post discessum meum horae dimidii frigore cum subsequente calore fuisse correptam. Hunc paroxysmum secuta erat sitis vehemens, anorexia, ructus et diarrhoea. Fasciarum lintea ita materia illa inveni imbuta et madida, ut alia iis substituere cogerer: ita situs lateralis ejus profluvium adjuverat. Jam quid tumor iste in intestino recto factus esset sciendi cupidus: digitum indicem huc introduxi, eumque prorsus evanuisse ipsumque locum ne minimum quidem dolere inveni. Ab hoc inde tempore satis bene se habuit aegra, materiae illius modo plus modo minus emanavit. Pergitur in victu nutriente medicaminibusque roborantibus.

Calendis Augusti cum viderem aegram, noctem transegerat ob frequentes diarrhoeas admodum inquietam. Fasciae profluvio illo penitus scatebant, tanta ejus emanaverat copia. Hinc profluvium illud ceu hostem, in insidiis latentem, timere coepi. Non amplius igitur moratus, stylo canalem illum exploravi, quod prius ob causam supra allatam facere non ausus eram. Jam, quod magnopere dolebam, et statim post operationem finitam sic eventurum esse suspicatus eram, inveni cavitatem illam, demtis steatomatibus ortam neutiquam granulatione carnis esse repletam. Stylum enim non solum sine ulla difficultate in incisura ischiadica libere circumagere, sed etiam sursum versus symphysin sacroiliacam et deorsum post tuber ossis ischii introducere potui, pullulante hinc materia ichorosa, maleque olente. Stylus ipse nigro colore inductus retractus, unde concludi, pelvim hic illic carie laborare. Pro certo autem affirmare, ubinam illa caries locum haberet, res erat perdifficilis, nisi unita jam vulneris pars denuo in longitudinem diffinderetur, quod mihi variis de causis non ex re esse videbatur. Hinc unice de adjuvando illius materiae profluvio cogitavi, quare turunda immissa canalis aperturam dilatavi, suadens simul aegrae, ut non solum lateri dextro incumbere pergeret, sed etiam quotidie, manu ab aliquo ducta, horae dimidium in cubiculo obambularet. Ratus praeterea topico aliquo remedio adstringente et roborante opus esse, decoctum Cort. Ulmi parari jussi, quo partim ad injectiones in vulneris cavitatem et in vaginam, partim ad insessus uterer. In vaginam spongiam, mali formam atque magnitudinem exhibentem, eodemque decocto imbutam introduxi, ibique per diem reliqui. Horum remediorum usu diligente et per duos, et quod excurrit, menses continuato, effectum est, et vulnus quotidie diminueretur. Universo aegrae statui victu lauto et Decocto Corticis Peruviani tam feliciter succursum est, ut ipsa de die in diem robustior et carnosior redderetur, et vel natis dextra cum materiam tum formam naturalem, demto steatomate amissam, recuperaret. Diarrhoea quidem subinde orta est, sed cum sine febre esset, et ea durante non minus bene se haberet aegra, eam potius non curare quam supprimere placuit. Ne multa, omnibus functionibus bene procedentibus catameniorum solum reditus desiderabatur. Quod ad profluvium illud album pertinet, indoles ejus puriformis semper, copia parum sibi constabat, ita ut vel complures interciderent dies, quibus ne gutta quidem ejus observabatur. Quare, cum reliqua omnia bene succederent, hanc in rem totus eram intentus. Suasi igitur aegrae, ut diutius et saepius quam hucusque factum erat,

in cubiculo obambularet, quo profluvium illius materiae magis adjuvaretur. Injectiones in cavitatem vulneris, vaginam et intestinum rectum bis per diem factae. Nec sine fructu. Etenim sic eo perventum est, ut illud profluvium sub finem Augusti mensis prorsus evanuisset. Vidit circa hoc tempus aegram meam Illustris Clarus, Nosocomii ad St. Jacobum medicus, et Professor Clinices publicus, quem honorifice curationem meam comprobare, deque felici ejus successu gaudere, tanto mihi erat jucundius, quanto sincerius dolueram, quod, peregre tum profectus, operationi ipsi interesse non potuerat. Quatuor fere praeterierant hebdomades, ex quibus commemoratum illud fluidum album evanuerat, vulnere interea magis magisque imminuto. Offendit me interim copia puris in eo generati ex improviso modo adaucta modo diminuta. Huc accessit, quod aegra dolorem accusabat a symphysi sacroiliaca per pelvis cavitatem versus symphysin ossium pubis et dextrum vaginae parietem vergentem. Hinc quotidie, modo jacente aegramodo stante, ea vulneris canales stylo exploravi, sed frustra. Tandem pronam eam pedibus manibusque inniti jussi, denuoque stylum in infimum canalem introducens, sine ulla difficultate usque ad symphysin sacroiliacam penetravi. Etsi neque introducente me stylum neque eum retrahente ne gutta quidem puris aliusve fluidi emanabat: tamen ingenue fateor, me hac re observata de felici operis mei exitu redditum fuisse paulo sollicitum. Nihilominus strenue in iis, quae hucusque in usum fuerant vocata, pergendum esse censui. Nec sine fructu. Quotidie enim ea, quam modo dixi, ratione canalem explorans, inveni, tractum ejus in dies fieri breviorem et die Septembris mensis trigesimo, ne minimum quidem ejus vestigium restitit. Ad promovendam autem vulneris expletionem et cicatricis perfectionem, et injectiones et insessus adstringentes per aliquot septimanas continuati sunt. Die Octobris mensis vigesimo primo aegram dimisi, vitae sanitatique redditam, quibus ad hodiernum usque diem perfruitur.

LITERIS NEUBERTIANIS.



Crist. oss. ilei.
Trochant. maj.
h
i



Tab. III.

Fig. 1.

